



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Richardi Arsdekin Soc. Jesu Sac. Theol. Professoris Theologia Tripartita Universa**

Complectens nunc Bibliothecam perfectam Viri Ecclesiastici, ordine  
sequenti

Controversiae Heterodoxae Ac Scholasticae - Cum speciali Notitia rerum  
Modernarum, & Chronologia totius Monarchiae Sacrae, & Saecularis,  
Pontificum, Conciliorum &c. Haeresum omnium, ac Propositionum  
damnatarum Mundi Sex Aetatum ...

**Archdekin, Richard**

**Dilingae, 1687**

Cap. X. De peccato originali, mortali, & veniali controversiæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38447**

Obijciunt tertio, Ex Apostolo 1. ad Corinth. cap. 10. v. 25. Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam... si quis vocat infidelium & vultis ire, omne quod vobis apponitur manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Si quis autem dixerit, hoc immolatum est idolis: nolite manducare, propter illum qui iudicavit, & propter conscientiam, conscientiam autem dico non tuam, sed alterius.

Respondeo breviter, interrogando, quid ibi dicat Apostolus, nisi ut quæ tunc prohibita non erant liberè manducarentur, quales erant carnes in macello venales, aut indiscriminatim appositæ, & quæ prohibita erant non manducarentur, quales erant carnes propositæ tanquam idolis prius immolatæ, & quasi in illorum honorem sumendæ. Quid quæso facit hoc pro manducandis sine peccato carnibus sicut cibis postea pro certis diebus ab Ecclesia absolute prohibitis? Si tunc poterint ritè ab Ecclesia prohiberi carnes appositæ tanquam idolis immolatæ, & *Altor. cap. 20. & 25. usus sanguinis & suffocati*, cur jam ab eadem Ecclesia non possint certis diebus carnes aut cibi alii interdici? Quinimò ex hac prohibitione carniū idolis oblatari mhi nostri carnis & ventris patroni suo potius argumento seipos jugulant. Sed maluit illi in suo *Egypto* super ollas carniū federe, quam ad terram promissionis per abstinentiam proficisci.

## CAPUT X.

### De Peccato originali, mortali, & veniali.

Docet Lutherus & Calvinus, peccatum Originale, quod ab Adamo contraximus consistere in Concupiscentia, sive inclinatione ad malum concupiscendum, quod Theologi vocant concupiscentiam in actu primo. Negarunt hoc omni tempore Catholici.

Probatur manifestè ex Ratione, & Scriptura. Quia, quidquid habet rationem peccati, id per Baptismum tollitur, uti agnoscunt omnes qui Baptismum admittunt. Atqui Concupiscentia illa per Baptismum non tollitur. Ergo peccatum originale in concupiscentia illa non consistit. Minor apertè probatur, tam ex perpetua experientia, qua etiam baptizati sentiunt inclinationem ad malum concupiscendum, quam ex testimonio Apostoli ad Rom. 7. v. 23. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis mee.* Ex qua lege proveniunt motus concupiscentiæ ad malum appetendum, ut idem testatur ad Galat. 5. v. 17. *Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem.* Unde manifestum est in Apostolo, adedque in Baptizatis & Sanctis concupiscentiam illam remanere, in quibus tamen non permanet peccatum originale.

Obijciunt Adversarii primò, Apostolus concupiscentiam dicit esse peccatum ad Rom. 6. v. 12. *Non regnet peccatum in corpore vestro mortali.* Secundò, Quod non est à Deo peccatum est: sed concupiscentia non est à Deo: ergo concupiscentia peccatum est. Minorem probant ex illo 1. Joannis 2. v. 16. *Omne quod est in mundo concupiscentia carnis est... qua non est ex Patre.* Tertio, Christus assumpsit omnes hominis miseria, excepto peccato: atqui non assumpsit ho-

minis concupiscentiam: ergo concupiscentia est peccatum.

Respondeo ad primum, Apostolum non monere ut peccatum, sive concupiscentia nullo modo sit in corpore nostro mortali, sed ut non regnet, scilicet per liberum voluntatis consensum, uti etiam SS. Patres explicant.

Ad secundum, distinguenda est minor. Concupiscentia nostra non est à Deo illam primò volente & creante in Adamo, concedo: non est à Deo illam postea permitte in pœnam peccati originalis, nego: & hoc sensu rectè dicit Scriptura illam non esse ex Patre: unde non sequitur concupiscentiam esse ipsum peccatum originale, sed tantum pœnam peccati originalis quod præsupponit.

Ad tertium, falsa est major: quia Christus non assumpsit ignorantiam, febres, aut alios morbos, non enim proderant hæc ad generis humani redemptionem. Unde quando de Christo dicitur ad Hebr. 2. vers. 17. Debit per omnia fratribus assimilari, clarum est illud non intelligi de omnibus miseriis humanis à peccato distinctis, ergo nec de concupiscentia etsi in illa peccatum originale non consistat.

Peccatum igitur originale in sensu Catholico situm est in ipso peccato Adami in posteros transfuso, sive in privatione iustitiæ originalis à posteris participanda nisi primi parentis peccatum obstitisset, uti cum aliis explicat. *D. Thomas in 2. 2. quæst. 82. art. 3.*

De peccato Mortali ac Veniali contra Catholicos docuit Gommarus, ac Pelagius, & post illos Lutherus ac Calvinus, Peccata omnia ex natura sua esse mortalia, & mereri pœnam æternam: & tantum quædam esse venialia hoc solum sensu quod ea iustis non imputentur. Ac Lutherani quidem affirmant, infidelium peccata omnia esse mortalia, & à Deo imputari, fidelium verò omnia peccata esse venialia, sive à Deo illis non imputari, excepto peccato infidelitatis, cum consequenter doceant per solam fidem hominem constitui iustum. Calvinistæ verò mordicus tenent omnia peccata quorumvis reproborum esse mortalia, & prædestinatorum peccata omnia esse venialia: sive ad damnationem non imputari.

Probatur contra hos doctrina Catholica. Quia dantur aliqua peccata quæ neque per se mortem animæ adferunt, neque pœnâ æternâ digna censentur: ergo dantur aliqua peccata quæ per se sunt merè venialia in quovis hominum genere. Probatur antecedens, Quia mors animæ consistit in privatione gratiæ: atqui sunt aliqua peccata quæ non privant animam gratiâ, aut ream constituunt pœnæ æternæ, uti patet ex illo Proverb. 24. v. 16. *Septies in die cadit iustus: & clarius ex illo Jacobi 3. v. 2. In multis offendimus omnes: ac denique clarissimè ex Evangelio Matthæi cap. 5. v. 22. Qui irascitur fratri suo reus erit iudicio, qui autem dixerit fratri suo, Racha, reus erit Concilio: qui autem dixerit, Fatue, reus erit gehenna ignis.* Ubi apertè distinguitur triplex peccatum iracundiæ, quorum tantum tertium constituit reum ignis æterni: unde manifestum evadit alia quæ sic reum non constituunt esse tantum venialia.

Obijciunt primò illud Ezechielis 18. vers. 4. *Anima qua ipsa peccaverit morietur.* Ubi ad mortem animæ nulla statuitur distinctio peccati mortalis & venialis.

Resp. Sermonem illic esse de certis tantum peccatis gravioribus, scilicet, idololatria, homicidio, usura & rapina, quorum singula ex genere suo sunt mortalia: unde inepte inferes, nulla dari alia leviora ac venialia peccata.

Obijciunt secundò, Quodlibet peccatum offendit Deum infinite bonum. Ergo quodlibet est dignum pena infinita sive eterna, adeoque mortale.

Resp. Quodvis peccatum offendit Deum infinite bonum saltem leviter, concedo: offendit graviter, sic ut cum Deo dissolvat amicitiam & charitatem, nego: sicut enim potest Deus infinitus leviter & finite amari ac coli, ita potest leviter ac finite offendi citra amicitiae dissolutionem, sicut in offensionibus summorum Principum cum aliqua proportione ostendi potest.

Denique si fundamentum adversariorum, de peccatorum imputatione subsisteret, apertè etiam contra ipsos sequeretur, Baptisum & Penitentiam climinandam esse. Reprobis enim nihil illa profunt, si nullum ipsis peccatum remittitur, ut isti volunt, Neque prædestinatis sunt necessaria, si nullum ipsis peccatum imputatur. En ad quæ præcipitia hæc vertigo impellat.

## CAPUT XI.

### De Cultu, & Invocatione Sanctorum.

I. Fides Catholica docet primò, cultum lætitiæ soli Deo tribuendum esse, nullamque creaturam posse adorari, nisi adorationem impropriè accipias, uti ab Abrahamo dicitur Angelus adorari Gen. 18. v. 3. & alibi.

Docet secundò, solum Deum invocandum esse tanquam supremum rerum omnium Dominum, ac largitorem omnium donorum tam naturæ, quam gratiæ.

II. Admittit tamen Sanctos in cælo regnantes tanquam Dei amicos religioso cultu honorandos esse: & ut nostros apud Deum intercessores ac Patronos invocari posse. Utrumque negant omnes hujus temporis Sæctarii: & ante illos varii pro hæreticis à primitiva Ecclesia damnati, ut Vigilantius apud S. Hieronymum cap. 3. adversus Vigilantium: & Manichæus apud S. Augustinum lib. 20. cap. 4. contra Faustum. His autem à primitiva Ecclesia reprobatis consentire, aliud esse non potest quam à veræ Ecclesiæ sensu aberrare.

III. Probatur porrò Catholica veritas primò, Quia ex Scripturis constat utile ac pium esse invocare homines sanctos in hac Vita existentes. Ergo multò magis utile ac pium erit invocare Sanctos in cælesti gloria cum Christo regnantes, & in perfectio illius amore & favore in æternum constitutos.

Antecedens patet ex Apostolo 2. ad Thess. 3. Fratres orate pro nobis ut sermo Dei currat & clarificetur, sicut & apud vos. Et ad Coloss. 4. v. 2. Orationi instate, orantes simul & pro nobis. Et ad Roman. 15. v. 30. Obsecro vos fratres per Charitatem sancti Spiritus ut adjuvetis me in orationibus pro me ad Deum, ut liberer ab infidelibus, qui sunt in Judæa. Demique ad postulandum hujusmodi patrocinium hortatur ipse Deus, Job. cap. 42. v. 8. Ite ad servum meum Job & offerte holocaustum pro vobis; Job autem servus meus orabit pro vobis, fidem ejus assuetam, ut non vobis imputetur stultitia.

IV. Sanctos quoque in cælo existentes nobis patrocinari, & utiliter ac piè invocari, patet Danielis 3. v. 35. Ubi Azarias ita orat. Ne auferas misericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum, & Isaac servum tuum, & Israel sanctum tuum. Et S. Petrus promittit se post obitum suum pro fidelibus frequenter oraturum 2. Petri 1. v. 15. Dabo autem operam & frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis. Et ipsa experientia ex frequentibus beneficiis ac miraculis per Sanctorum invocationem omni ævo obtentis, manifestè ostendunt hanc Deo gratam, ac nobis perutilem esse.

V. Nec ullam proflus vim habent quæ contra Sanctorum invocationem à Sæctariis opponuntur, hoc modo: Deus vult solus invocari, ergo non licet invocare Sanctos in cælo regnantes. Nam contra ipsos valet eadem consequentia: Deus vult solus invocari, ergo non licet invocare Sanctos in hac vita existentes; quod tamen falsum esse coguntur ipsi fateri ex apertis Scripturis n. 3. supra citatis.

Eodem modo si bona est hæc quam formant consequentia. Solus Christus est mediator hominum, ergo peccant Catholici invocando Sanctos in cælo existentes; Bona etiam erit hæc sequela: Solus Christus est mediator hominum: ergo peccant Sæctarii invocando Sanctos in terra constitutos, quod tamen ex Scripturis admittunt licitum esse. Nam si velint ut particula solus universaliter accipiatur, æquè Sanctos vivos ac mortuos excluder.

Neque minùs frivolum est quod assumunt, Sanctos scilicet in cælo non posse preces nostras, & interna desideria cognoscere. Sed peto, an admittant Samuellem cognovisse omnia quæ erant in corde Saulis. ut testatur Scriptura 1. Reg. 9. v. 19. Et Eliseum scivisse omnia quæ à Giezi absente gerebantur, & secreta consilia Regis Syriæ longè remoti 4. Reg. cap. 5. vers. 6. Et Danieli cognitum fuisse occultum somnium Nabuchodonosoris, ejusque interpretationem? Dicant ipsi quo modo potuerint hæc absentibus in terra revelari, & simul exponant quâ ratione possint Sancti in cælo preces nostras & desideria cognoscere.

VI. Probatur autem secundò, hunc esse sensum Scripturarum, & primitivæ Ecclesiæ, ex consensu Sanctorum Patrum qui in ea cum eximia tam sanctitatis, quam veræ doctrinæ laude floruerunt.

Origenes qui tertio post Christum sæculo vixit Homil. 23. in Numer. Quis, inquit, dubitat quod Sancti quique Patrum etiam orationibus nos juvent.

S. Hieronymus 4. sæculo contra Vigilantium cap. 3. Si Apostoli & Martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris... quanto magis post victorias, coronas, & triumphos. Et ibidem affirmat Vigilantium hæreticum contrariam doctrinam de Barathro peccatoris sui tanquam cænosam spurcitiâ evomere.

Audi S. Augustinum Catholicorum more pro se orantem Medit. cap. 40. S. Michaël, S. Gabriel, S. Raphael, Sancti Chori Angelorum, atque Archangelorum per illum qui vos elegit, & de ejus contemplatione gaudetis, vos rogare præsumo, ut pro me culpabili Deum rogare dignemini.

S. Ambrosius quid in Ecclesia fieret, ac fieri debeat apertè docet lib. de Viduis. Obsecrandi sunt Angeli pro vobis, qui nobis ad præsidium dati sunt Marty-

Arsde  
kin

Theo-  
logia